

municent, memores testamenti uerissimae promissionis, remissionis peccatorum tueri fidelibus in oblatione CHRISTI, qui solus erat agnus dei, qui solus tulit peccata mundi, ubi adoraret salutis totius mundi autorem, sed multo magis in templo spirituali, perinde ac si non sint in materiali: quomodo Petrus & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, adorabant deum. Quis enim dubitet eos fuisse de numero eorum de quibus dominus dicit: Venit hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Et hoc sit cum non in templis materialibus, non in Gerizim, non in Hierusalem, sed in templo spirituali, in CHRISTO & spiritu sancto colitur, non ad signum, sed ad ueritatem. Hic est perfectorum cultus in spiritu & ueritate & uerè fidelium. Multo enim melius deus & CHRISTUS spiritu colitur, quam simulachro: etsi habeat uenerabile inter etiam omnia signa, memorie redēptionis signum. At multa mundi ignorātia, & deus dei scientia colitur, & ipsius ignorantia offendit. Ergo Ioannis dilecti dei discipuli, apostoli & euangelistæ bonum & salutare nobis, per spiritum dei uentura prospicientem, qui neque coartatur temporibus, neque angustiatur locis, præceptū annunciantis sequentes, caueamus nobis ab idolatria tam in uitæ cōuersatione, quæ sunt auaricia, spurca carnis uoluptas, & ambitiosus honor, etsi quid simile, quam in diuino cultu: & simus unius & solius ueri dei cultores, ueri adoratores, adorantes patrem in spiritu & ueritate. Cui honor, gloria, & gratiarum actio per filium & cum filio, in spiritu sancto in omne æcum & super omne æcum, in secula seculorum. Amen.

COMMENTARII IN PRIMAM
Ioannis epistolam, finis.

BEATI IOANNIS

APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA.

ANNOT.



ENIOR, electæ dominæ, & [na]tis eius, quos ego diligo in ueritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognoverunt ueritatem, propter ueritatē quæ permanet [in uobis, & uobiscum] erit in æternum. Sit uobiscum gratia, misericordia, pax à deo patre, & à CHRISTO IESU filio patris in ueritate & charitate. Gauisus sum ualde quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in ueritate, sicut [mandatum] accepimus à patre. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio: ut diligamus alterutru. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundū[mandata] eius. Hoc enim est mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, [in eo] am-

filijs, liberis, & envoie.

in nobis, & nobiscum, & οὐ μὴ μεθύμωμεν.

mandatum, præceptum, εὐτολήμητον, & infrae-

īnuicem, & οὐ μὴ λαυρε, mandatum, præceptum, τὸ εὐτολήμητον, in eo, scilicet mandato, & εὐτῷ.

5 buletis. Quoniam muki seductores [exierūt] in mundū, qui non confitentur IESVM C H R I S T V M uenisse in carnem. Hic est seductor & 6 antichristus. Videte uosmetipſos [ne perdatis quæ operati eſtiſ:] ſed ut mercedem plenam [ac-] 7 cipiatis.] Omnis qui[recedit,] & non perma- net in doctrina C H R I S T I, deum nō habet. Qui permanet in doctrina, hic patrem & filiū habet. 8 Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinā non af- fert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei di- xeritis. Qui enim dicit illi aue, co-communicat ope- 9 ribus eius malignis. ► Ecce prædixi uobis, 10 ut in die domini non confundamini. Plura ha- bens uobis ſcribere, nolui per chartā & atramen- tum. Spero enim me [futurum] apud uos, & os ad os [loqui,] ut gaudium ueſtrum plenum ſit. 11 Salutant te filii ſororis tuæ electæ.

introierunt, εἰσῆλθον.

ne perdamus que operati ſu-
mus, μὴ ἀπλέσωμεν δὲ τις
γαστρί μεθα. accipiamus,
ἀπλάσωμεν. transgredi-
tur, præterit, πρόσβασιν ωμ.

uenturum, ελθεῖ.

loquutur, λαλήσαται.

COMMENT. IN II. EPIST. IOANNIS.



AEC epiftola Ioannis, pariter & ſequens, priuatā continent ac pa-
ticularē exhortationem. Prīma autem publicam & uniuersalem:
& proinde unica merito dicit καθολικὴ Ioannis. Et ſe presbyteron,
id est ſeniorem appellat. Neq; hic diſputemus an alius fuerit apud
Asianos Ioannes presbyter, alijs Ioannes apostolus. Et hæc no-
menclatura ſenior maxime conuenit apostolis, per id ſacrae apocalypſeos: ιηδ. ιηδ.
πρεσβύτεροι ἐνώπιον τῷ θεῷ καθίμουσι, & uiginti quatuor ſeniores qui in conspectu
dei ſedēt: per quod peculiäriter intelliguntur duodecim apostoli, quos dominus
promiferat ſeffuros ſupra ſedes duodecim ſecum iudicaturos duodecim tribus
Iſraēl, cum duodecim prophetis qui iñſignius de C H R I S T O ſcripſere. Quid ſi
etiam cum apostolis ſeffuri ſunt tanquā ſcribæ, & in diuino iudicio ſynedrii? Hæc
igitur nuncupatio Senior, maxime Ioanni apostolo conuentanea eſt, tum ratione
ætatis, tum apostolatus, tum diuini mysterij. Sed & proprium nomen pro more
ſuo hic ſubticuit: quod in apocalypſi ſpiritus ordinatione expreſſit. Id eīm eum fa-
cere oportebat: quū ſpiritus illi imperans dicebat: Quod uides ſcribe in libro, &
mitte septem ecclesijs. Et que alia ſpiritus iubentis intentio? Mulieris etiam ad
quam ſcribit proprium nomen, ut & ſuum, ſuppreſſit: & tantum autoritatis no-
men expreſſit. Nam magna in ſeculo uifſe autoritate per id κυρία, domīna intelli-
gitur. Ad quam & filios eius ſic ſanctam exorditū ſalutationem:

Apo. 4.

Matth. 19.

Apo. 1.

Io. 11. 15.

1. Senior, electæ domīnæ & natīs eius, quos ego diligo in ueritate: & non ego
solus, ſed & omnes qui cognouerūt ueritatem, propter ueritatem quæ permanet
in uobis, & uobiscum erit in æternum. Sit uobiscum gratia, misericordia, & pax
a deo patre, & a C H R I S T O I E S V filio patris in ueritate & charitate. Electam
dicit eam, quia diuina electione regno uitæ aſcita fuit: & quisquis consortio ſan-
ctorum aggregatur, diuina electio eſt, nam aggregati uolūtatis electio. Et quod
Petrus, Andreas, Ioannes, & reliqui apostoli, apostoli fuerunt: hoc diuina electio
fuit, non ipſorum. Non uos, inquit, me elegistis, ſed ego elegi uos. Ut non uolun-

IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

tati nostrae in diuinis perfectionibus aliquid tribuat, sed glorifice in omnibus illa infinite bona dei uoluntas diuinæ electio, quæ est omnis boni ratio, nō creata uoluntas. Quocirca cum dicit electæ, maius aliquid dicit nulla etiam proportione, quām quū dominæ. Hoc humanum, illud diuinum. Quæ enim ratio humanæ ad diuinum: Et cum ait: Quos ego diligo in ueritate, exprimit se dominam & natos eius diligere, sed uera dilectione, quæ est non mundana, non humana, sed alta, diuina & perfecta in fide & spiritu. Et nō solum ipse ea perfecte diligebat eos; sed & omnes qui cognoverunt ueritatem quæ est C H R I S T V S dominus, qui uia, ueritas est & uita: quod esse non potest, nisi per fidem & euangelicam ueritatem. Et non abs re quidem diligebat: quia ea ueritas C H R I S T V S scilicet & uerbum eius quam cognoscebant, summeq; amabant, manebat in eis, eratq; in perpetuum manus. Hoc enim habet diuina charitas, ut ad omnes spiritu se fundat etiam nunquam sensu notos, etiam ad eos qui nondum gregis Saluandorum acciti sunt, etiam ad inimicos, ut ipsi resipiscētes, in uera luce spiritus esse possint. O quām ingēs, quām magna charitas quam C H R I S T V S uere fidelium peccatoribus accedit, quām parvam nunc sentiunt mortalium corda, quam dignetur breui per sanctum uerbum suum et euangelicam fidem suscitare. Nihil igitur mirum si sancta illa mulier quæ ob euangelij ueritatem, & spiritum C H R I S T I cordi eius infusum & C H R I S T I fidem, sic ab apostolo, & maxime omnium diuinorum secretorum conscientia euangelista diligebatur, quam etiam cæteri omnes eundem fidei spiritum habentes, similiter dilectione prosequerentur. Qui enim uere christianus est, non solū suæ gentis christianos dilectione prosequitur: sed & Indos & Aethiopas, & Asianos, & Aphros, & qui insulas habitant separatas, & qui terras sub occiduo tot seculis ad tempora nostra incognitas, si usquam sint, eisq; optat eandem salutem quam Ioannes sanctæ foeminae & natis eius, gratiam, misericordiam, & pacem à deo patre, & à C H R I S T O I E S V filio patris, in ueritate & charitate, id est, à patre, & filio, & spiritu sancto: siquidem spiritus charitatis est infusor: filius ueritatis fidei q; autor, qui nobiscum fecit misericordiam, & patri per ipsum reconciliati pacem habemus. Et hæc dona habemus à patre in filio, qui est ueritas, & in spiritu sancto qui est charitas. Hæc dona non à nobis sunt, sed à deo patre. Gratia quidem, ut sit in nobis operatrix, misericordia uero, ut simus misericordes. Et pax, ut simus pacifici filii dei. Et hæc donatur in ueritate, ut simus in omnibus ueraces, ueritatem ipsam quæ est filius dei imitantes. Et in charitate, ut simus in charitate & dilectione dei ad deum adiuicē & ad omnes feruētes. Nullæ his tribus donis, nō æquar modo, sed ne comparari quidem possunt totius mundi diuitiae. Sed ob quid hanc sanctæ mulieri destinauerit Ioannes epistolam aperit, dicens:

2. Gauisus sum ualde quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in ueritate: sicut mandatum accepimus à patre.] Gaudium admodum ingens est diuinam fidem charitatemq; dei habentibus, si uiderint alios similifide, charitateq; donatos erga eum quem summopere amant, & simili incedere ueritate, qui nihil aliud in uotis arctius habent, quām illum amare, quem nunquam satis amare possunt, & eundem à ceteris amari qui nunquam satis potest amari, quandoquidē ille est omni amore superior, omni excellentia eminentior, & omni bono melior. At quod amen, nihil illis curæ est, neq; uident ex se quidquā in se quod dignum sit amore: sed sanitas est illis amare, & in amore languere, magna est illis sanitas, & amore moridulcissima uita. Et hīc amor mundano contrarius est: ut diuina mundanis. Qui mundane amat, inuidet amantibus id ipsum quod amat: amore suo putat promereri amatum. Et etiam amplius quām amare, illi cura est uel maxime, ut ab amato aut æque aut plus redametur. Languor in hoc amore, grauis est infirmitas: & si

mori

mori contingit, mors illis grauissima. Quae omnia ueri amatores uident esse de-
mentias: qui nulla ratione propter se, sed omnimodo propter amatum amant, qui
non secundum hominem, sed supra hominem, non potentia carnis quae nihil po-
test, sed potentiam spiritus qui nihil non potest, amant. Et quam etiam insani, q̄
cæci essent: si peteret se ab eo redamari qui præamat omnia, & quorū amor nihil
aliud est, quam præamat redamatio, & amoris quo amat in suam originem re-
silitio, quæ ubi cunq; adest, magnum amantibus affert gaudium qui ambulant in
ueritate, ut mundani in falsitate; qui uersantur in sapientia, ut mundani in insania:
qui exultant uera uoluptate, ut illi mœsto semper cruciantur angore. Veri amato-
res in ueritate ambulant, quia in fide ueritatis, in fide filij dei ambulant, quia sic
amant, ut omnia iussa patris æterni quæ per filium & spiritum eius acceperunt, in
charitate faciant, & iussa capescere illis leuissimum, facillimum, dulcissimum. Fa-
cit em id amor, quia ipse pater & filius & spiritus eius sunt id quod amat, & quod
super se & super omnia amat: uires illis spiritu fidei præstante, quo illo ut mem-
bra C H R I S T I uegetantur ac uiuit. Ut ergo sancta domina ad quam scribit Io-
annes, ignem illum aerorum amatorum desursum missum, semper mutuo amore
soueat admonet: non quod propter id petat, tanquam sit redamari cupidus, sed ut
impleatur C H R I S T I qui summus est amatus mandatum, qui hoc ab initio, id est,
quum adhuc cum discipulis uersaretur in mundo, præcepit. Sic igitur eam hortat
& obsecrat Ioannes:

3. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum nouū scribes tibi, sed quod
habuimus ab initio, ut diligamus alterutru.] Mandatum quod Ioannes & apo-
stoli habuerūt ab initio, est hoc quod dominus sacro ore suo mandauit eis, dicens:
Hoc est mandatum meum, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos. Mandatum de di-
lectione tradidit deus ab initio legis antiquæ: Diliges dominum deum dum ex
toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua, & etiam ab initio nouæ
legis est datum: sed hoc legis nouæ supra naturam, addit spiritum. Sicut inquit di-
lexi uos. Quis em magis in plenitudine spiritus dilexit quam C H R I S T U S? Man-
data legis antiquæ currebant secundum naturam, nam secundum literam: & ideo
perfecte impleri non poterant, nisi si qui spiritum accepissent. Mandata autem legis
nouæ absorpta quidem à gratia natura, secundum diuinum indultum quod supe-
rat naturam currere debent, quod in C H R I S T O post sanctum eius in carne aduen-
tum hominibus affatim distribuitur. Etenim etsi noua & uetera pleraq; prorsus
eadem in cortice uideantur: noua tamen adjiciunt spiritum. Sed quo argumento po-
tissimum cognoscet hæc dilectio & hæc charitas? Sanè operis exhibitione quæ
est mandatorum dei ad quem hæc tam diuina, tam potens, tam uiuifica gerit cha-
ritas adimpletio. Ob quod subdit Ioannes:
4. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata eius. Hoc em est man-
datum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.] In eo precepto
quod ab initio audierat, ambulare debebant. Quod nam illud: Dilectio & chari-
tas. In ea igitur charitate, quam à principio ipsi apostoli à domino audierant, &
sancta illa domina & liberi eius à Joanne: ambulare debebant per etiā reliqua do-
mini mandata, id est per fidem charitate & dilectione omnia operantem. Etenim
omnia sine charitate nihil sunt. Ex charitate filius dei ad nos descēdit, & omnia ex
charitate operatus est. Si cōporet nos charitate ad ipsum ascendere, & omnia
mandata eius, & quæcūq; operamur in charitate & per charitatem operari. Hæc
est libertas christiana, ut omnia per spiritum libertatis filiorum dei per fidem & cha-
ritatem operemur, nihil seruorum quæ carnis sunt facientes, sed quæ dei & libe-
rorum. Verum contra hanc sanctam euangelicamq; doctrinam ingressi erant in

Ioan. 15.
Deut. 6.

JACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

mundum multi animarum seductores, quorum quida[m] dogmatizabant I E S V M non esse C H R I S T V M, & sic omnia mandata eius inficias ibant dei esse manda ta. Alij fatebantur I E S V M esse C H R I S T V M, sed non uerè hominem factum, nō ueram accepisse carnem, ueréue fuisse incarnatū: & hi testimonia apostolorum et euangelistarum reijciebant, quæ sunt mandata dei. Ideo sanctam dominam & liberos eius præmunit, dicens:

5 Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur I E S V M C H R I S T V M uenisse in carne: hic est seductor & antichristus.] Qui huiusmodi seductor est, spiritu erroris, qui serpens antiquus est, seductus, pariter & seducens eos qui ei auscultant, deo patri & C H R I S T O filio eius est inimicus. Quod uocabulū indicat antichristus: id est, contrarius aduersarius c[ontra] C H R I S T O. Et ab huiusmodi summopere est cauendum, quod sanctæ mulieri innuit Ioannes, subdens:

6 Videte uosmetipso, ne perdatis quæ operati estis: sed ut mercedem plenā accipiatis.] Quid est, Videte uosmetipso: nisi Attende diligenter uobis ipsis, ne illi aliquo inficiant uos erroris sui ueneno? Si enim essem inter serpentes, quantum cuncti sanus essem, nonne studiose attenderes, ne quid aut in te, aut circa te instillaret uirus sui? Tanto magis illis attendendū erat: alioqui apostolorū labor circa eos irritus factus fuisset, & quæcunque prius operati essent perdidissent, & misericordia dei mercedem quæ est uita æterna, tanto melior uita temporalis, quanto æternum præstat caduco, lux tenebris, & uita haec qua hic uiuimus, temporalis morti. Ergo illis caute admodum inuigilandum erat aduersus illorum dogmata: ne fructum præcedentium bonorum fidei & spiritus operum perderent, sed plenam ad finem usque in sanctis fidei operibus persistentes, uitæ æternæ mercedem acciperent. Si enim transgrederentur, dogmata illorum sequentes, deum prorsus perde bant. Ideo subdit Ioannes, dicens:

7 Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina C H R I S T I, deum nō habet. Qui permanet in doctrina, hic patrem & filium habet.] Ille permanent in doctrina C H R I S T I, qui nunquam transgrediuntur, nunquam ab ea deflectūt aut discedunt, sed ad finem usque, id est uitæ huius terminum in ea persistunt, ad nullas alias attendentes doctrinas, quia multæ hominum sunt, multæ mundi, & multæ dæmoniorum. Sed illa unita C H R I S T I & euangelica necessaria est, ut patrem & filium habeamus in nobis manentes, dicente domino: Si quis diligit me, sermonem meū seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eū faciemus. Humanæ sunt parvi facienda, mundanæ fugienda; diabolicae uero prorsus abiendi, abominanda, damnanda. De quibus subiungit Ioannes:

8 Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.] Si quis uenit ad nos, & non hanc affert doctrinam, id est, euangelicam, C H R I S T I doctrinam, sed aliam, & multo magis si aduersantem, iubet sanctus dei apostolus nos tali hospitalitatis iura negare, in domū nō recipere, neque ipsum salutationis uerbis quæ sunt benevolentiae & amicitiae initia, dignū aestimare. Nam cum rege nostro non est, aut illi ex aduerso contrarius & inimicus est, & sub principio tenebrarū militans, qui est ex diametro regi cui militamus cōtrarius. Nonne enim si sub terreno rege essem, & alterius regis capitalis hostis ipsius homines in domū tuam reciperes, & benevolentia foueres, quum nihilominus cōtraria iussa, iussis regis tui afferrēt ad tuam & aliorum seductionem, nonne inquam erga regē tuum id scientem reus læsa maiestatis habereris? Sic & tu, si in domum tuam reciperes, si benevolentia foueres tam apertum inimicum, apud deum cui nihil oculum

cultū est, reus agereris, & in nouissimo die ante deum & sanctos angelos eius & uniuersos bonos et malos, qui omnes illis tremendi iudicij tribunalibus adstabūt, hoc crīmne cōfundereris. Propter qđ admonet eos, & nos in ipsis, sanctus euangelista Ioannes, ut omni opera nitamur, huiusmodi uitare confusione dicens:

9. Ecce prædixi uobis, ut in die domini non confundamini.] Sicut magna gloria & honor erit electis coram omnibus in iudicio audire hanc uocem: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi, & tanta lætitia ut nequeat cogitari maior, sic magna confusio & ignominia tanta quæ etiam cogitari nequeat maior, erit reprobis coram omnibus audire istam: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quam à nobis auertat benignitas C H R I S T I, ut & optat pius & dilectus à deo apostolus. Qui etiam erga sanctam fœminam & fideles qui cum ipsa erant, se excusat de epistolæ breuitate, dicens: Matth. 25. Ibidem.

10. Plura habens uobis scribere, nolui per chartam & atramentū. Spero enim me futurum apud uos, & os ad os loqui, ut gaudium uestrum plenum sit.] Quidā, nescio quo autore, putant dominam hanc Babyloniam fuisse: ego crediderim Asiaticam, ea etiam ex parte quæ Græciæ uicina est, tum quod ad eam peculiari ter Græce scribit, tum quod sors illuminandæ Asiae Ioanni obtigerit, etiam quū adeo in proximo fuisse domina illa uideatur & liberí eius, ut spredo scribendi negotio mallet Ioannes eos ore ad os loquendo informare, quam illis ea ex quibus ulterius erant informandi, chartis cōmittere, præsertim quum illi forte essent etiā ex nomine prodendi, à quorum peruersis dogmatibus erant uendicādi, ne & ipsa & qui cum ea fideles erant perderent gaudium in C H R I S T O sempiternū, quod plenitudine & integritate fidei ad finem usq; uitæ paratur. Deinde salutationis extororum in calce suæ epistolæ ad eandem sanctā & fidelem dominam peragit uices apostolus Ioannes, dicens:

11. Salutant te filij sororis tuæ electæ.] Filij sororis illius præstantissimæ dominæ, eo in loco erant, in quo Ioannes epistolam scripsit. Vnde rursus cōjicitur is locus in Asia non procul fuisse à loco illius dominæ ad quam scribebat, & eandē quoq; fuisse Asiaticam: quanquam non magnopere curādum sit cuias fuerit, nec huius gratia contendendum: satis nanc; est nosse eam fuisse à deo electam, & nomen ipsius libro uitæ fuisse adscriptum. Et soror illa æque fidelis, & deo acquisita erat ut & domina illa, quod insinuat cum ait: Sororis tuæ electæ. Nō arbitror etiā dominam illam propriū & peculiare nomen habuisse electam, quod nonnulli putauerunt: quum in principio epistolæ electæ dominæ, & hic in calce, sororis tuæ electæ, Ioannes eodem prorsus uocabulo ἐκλεκτὴ ἐκλεκτὴ utatur: sed nec huius rei gratia controversandum est. Designatq; id utranc; fuisse electam: nō humana quidem, sed diuina electione, quæ est infinite bona dei uoluntas, qui nos omnes electione sua sancta dignos efficiat, ut nos omnia, electionem, uitam, spem, charitatem, & quicquid uere bonum est & uere desiderabile, summo patri per filium in spiritu sancto referamus accepta: profuso & profundo corde ab omni creatura, cui cum filio in spiritu sancto sit laus, honor, & gratia rumactio in omnina seculorum secula. Amen.

DIVI IOANNIS EPISTOLAE SECUNDÆ, FINIS.